

qd' dicitur **Q**uod dicitur subordina. i. omne  
 conseruatio. **P**rologus ubi xpi est. **Q**uod panis est panis  
 eius. **U**bi dicitur participatio corporis domini est.  
 qui unus panis et unum corpus multi sumus  
 omnes qui de uno pane et de uno calice partici-  
 panti. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur.  
 adu' hostias participes. **S**ed aliter. **Q**uod dicitur.  
 duo. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur.  
 dicitur sic aliquis. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur.  
 demonis preloant. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur.  
 vos facite fieri demoniorum. **S**ed potestis uideri  
 domini bilae et calicis demoniorum. **Q**uod dicitur.  
 testis mensis domini participes estis. **Q**uod dicitur.  
 demoniorum. **S**ed in uoluntate domini. **Q**uod dicitur.  
 factionis ille sumus. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur.  
 omnia spectant. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur.  
 sunt. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur.  
**Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur.  
**Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur.  
 tem et plenitudo eius. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur.  
 infidelium. ad comam et uultus. **Q**uod dicitur. **Q**uod dicitur.

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Xd. 28,

220

Institutionum Anatomicarum  
DISPUTATIO XXIII.

De

FACULTATE ANIMÆ

SENSITIVA

Quam

D. O. M. A.

SVB PRÆSIDIO

TOBIÆ KNOBLOCHII,

Marcobrettani Fr.; Med. & Phil.D.

*In celeberrima Witebergensium Academia  
defendendam suscipiet*

Leonhartus Baudisius

Lignicensis Silesius,

*Ad diem 19. Decemb. horis & loco notis.*



VVITEBERGAE,

Typis Cratonianis per Iohan. Gorman.

Anno c1o 1o CVII.

Handwritten text on the right edge of the page, partially obscured by the binding.



*[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through. The text is illegible due to fading and bleed-through.]*





**H**actenus de facultate vegetativa egimus:  
progredimur nunc ad explicationem sen-  
sitivæ.

### CAP: I.

**A**d sensitivam accessum facimus, quæ extra se posita apprehen-  
dit, percipitq̃. Et cum animal sit ζῷον ἐμψυχὸς αἰσθητὸν, ut  
Porh. instit. c. 3. habet, per hanc vivens animal distinguitur, à  
vivente non animali. Consideranda verò hic sunt αἰσθητὸν sensi-  
le & αἰσθητὸς sensus. Sensibile obiectum sensuum per se est vel per  
accidens. Prius iterum in commune & proprium tribuitur: illud  
quod vel ab omnibus pariter sensibus, vel saltem pluribus percipi-  
tur, ut Motus, Quies, Figura, Numerus & Magnitudo: hoc quod  
uno tantum sensu comprehenditur, ita ut in alium non incurrat:  
& horum totidem sunt numero, Color, Sonus, Odor, Sapor, & qua-  
litas tactilis. Posterius nempe per accidens est, quod interveni-  
ente alio percipitur: ab hoc namq̃ sensus haut quicquam patitur:  
Sed tantum comes est sensilium. Sic hunc hominem e. g. Pompo-  
nium, Consulem esse dico: posterius per accidens sensui obvenit,  
per se prius.

I. Sensitiva quomodo actus suos per organa in obiectis ab-  
solvat, Physici certant, & adhuc sub iudice lis est. Sunt qui sola  
passione: sunt qui actione sola: sunt item qui utroq̃ modo sensa-  
tionem (loquamur ita, ut vocabuli sensus ambiguitatem evite-  
mus. fieri statuunt. Media opinio sua absurditate concidit. Pri-  
ma probabilium argumentorum mole prægnaans videtur. Ulti-  
ma autem verissima est, quam nos quoq̃ sectamur, & sequentibus

Aphorismis declaramus & probamus, Ad sensationem duo aia-  
uaios conveniunt: ex parte nimirum obiecti species sensibilis: ex  
parte sentientis sensitiva potentia: horum alterutro vel utroq;  
deficiente, deficit sensatio. Emergit hinc alter: Sensatio duos re-  
quirit motus, Materialem, ut verbi gratia in visu receptionem spe-  
ciei: Et formalem, videlicet actionem. Hinc Aphorismus tertius.  
Sensatio respectu impressi obiecti passio est: respectu sensitivæ actio.  
Quod si quis ab actione & passione hac abhorreat, edisserat nobis,  
cur dormientes vel cogitabundi apertis sapius oculis non videant?  
quomodo anima vis sit purum putumq; passivum? quomodo ea-  
dem sopita planè possit dici in sensatione, vel presenter absens?  
quomodo sensus interni dicantur percipere, discernere, dijudicare?  
Alia jam missa facimus.

II. Obijcitur verò alia difficultas in Sensilibus: Ec-  
quid illa ad Sensoria τὰ αἰσθητήρια & quomodo deveniant. Quod  
si totam rem in pauca contrahere liceat, statuimus sensibiles spe-  
cies, hoc est simulacra vel imagines rem obiectam sensui represen-  
tantes, sensui non offerri materiale: sic enim in subiectum de  
subiecto migraret alius rei materialitate. Sic qui solem videt, in  
oculos eundem reciperet: Sed intentionaliter, seu ut Zabarel.  
de sens. agent. c. 6. dicit, spiritualiter. Atq; ita sensorium species  
suscipit absq; materia, perinde ac sigilli imaginem cera sine mate-  
ria ullius communicatione, ubi tamen distincti gradus non sunt  
negligendi: quando idem non est in sensilibus speciebus spirita-  
libus modus. Alia enim magis, alia minus ad naturam accedunt  
materiale.

III. Alterum, quod in sensitiva considerandum, est  
ipse sensus, videlicet potentia sensitiva αἰσθητικὴ in sensilibus  
occupata, cuius naturam quanquam alia, præter hanc, di-  
sputationes accuratius fusiùsq; indicabunt, nos tamen hac quoq;  
vice ὀλίγοις πάλιν includentes, totum negotium velut in fa-  
scicu

sciculo exhibebimus, si obiectum uniuscuiusq; & organum  
& medium ( quod Brightus Tactui, pleriq; alij etiam Gustui  
cum veteribus denegant ) & modum notaverimus. premis-  
sa tamen distributione generali & definitionibus. Est itaq;  
sensus externus & internus. Externus, cuius obiectum exter-  
num per se singulare, de quo non praterrem monet Fuchs. libr.  
1. instit. Med. lect. 6. cap. 3. quod externus vocetur, non quasi  
foras expromtus sit, promineatq;: Sed quod proprijs externarum  
rerum instrumentis capiat cognitionem. Sunt autem externi  
sensus quinque: Visus, Auditus, Olfactus, Gustus & Tactus, qui ordo  
dignitatis est, non nature. Ita enim cum Philos. 2. de Anim. 2.  
& 2. de part. an. c. 8. Tactum reliquis preponeremus.

## CAP. II.

**V**isus est qui lucem & colores percipit. Obiectum est Lux  
& Color. Color autem est, qui movet actu perspicuum,  
quatenus perspicuum: cuius extrema species sunt albus & ni-  
ger: reliqui metae seu medij & ex his mixti. Lux est quasi color  
perspicui ab igne aut caelestibus corporibus, ut sole, diffusus. Cui  
opponuntur tenebrae. Sunt enim tenebrae privatio talis habitus ex  
perspicuo ita, ut manifestum sit ex contrario, quod praesentia talis  
habitus in pellucido sit lux. Organum communiter oculus totus:  
proprie humor oculi crystallinus. Medium est *ἄφωρος*, quod non  
suo, sed alieno colore est perspicuum. Tale est aer & aqua  
& alia quaedam, ut vitrum, & similia. Non autem medium  
solum per quod, sed & organum, quo fit Visio ( quod vocat Arist.  
in lib. de sens. *ὀφθαλμῶ*, Medici humorem crystallinum ) pellucidum  
esse necesse est, ideo ex aqua oculus est compositus & pellucidus fa-  
ctus. Est autem illud internum lumen nihil aliud, quam Spiritus  
clari & lucidi à cerebro per nervos visorios in oculos delati, ac per  
pupillam cum extremo lumine coniuncti. Itaq; visio neq; fit egressi-

one radiorum extra oculum, neq; fit συμφύσιν luminis, neq; sola receptione. Sed medium pellucidum à colore materiato recipit species sensiles sine materia, eas deinde defert ad pupillam oculi, qui congenitum & nativum habet etiam lumen, quo & ipse redditur perspicuus. Oculus igitur rectè dispositus per lumen συμφύσιν & alia organa, quæ ad visionem pertinent, recipit à medio pellucido species illas sensiles, & sic fit visio intra oculum, qui est proprium αἰσθητικῶν lib. de sensu cap. 2.

### C A P. III.

**A**uditus est, qui sonum sentit. Obiectum Sonus. Est autem sonus qualitas in aëre collisione duorum corporum excitata solidorum, quæ ab auditu percipitur. Differentiæ sonorum sunt, quod alius dicitur gravis, alius acutus. Complectitur sub se sonus vocem & vocis imaginem, quæ dicitur Echo. Vox est sonus animalis ore prolatus cum imaginatione significandi aliquid, formatusq; à natura, dat is ad id instrumentis. Numerantur autè à Galeno quinq; gradus Vocis, quibus illa perficitur, aut quinq; diversi motus. Primus est ἐπιπῶν: secundus ἐνφύσιν: tertius ἐνφύσιν ψοφῶδης: quartus φωνῆ: quintus ἀγέλετ &, de quibus supra quoq; dictum. Echo verò est sonus repercussus atq; reflexus à corpore sibi obstante, à quo aër redit ad suum efficiens reflexione & reverberatione quadam, non secus ac pila parieti illisa retrò pellitur ad jactatorem. Organum minus principale est auris prominens, quæ sonum, ne præterlabatur, excipit: principale sunt membrana & ossicula tria, quibus Arist. 2. de An. c. 8. t. 34. aërem addit congenitum.

Fit autem Auditus si aër exterior impulsus & agitatedus curvatis gyris factis (quos excitat motus aëris sono factus, non secus ac lapillus in undas coniectus) per flexuosos, & tortuosos anfractus aurium ad interiorè membranulam, tympanum scilicet, in illis fertur, quæ tegitur aër auribus congenitus, δυνάμει sonum habens:



habens: hunc ut & ossicula, placido motu ferit, & sic additionem efficit vi animæ percipientis. Ut enim congenitum humorem habet oculus, in quo species sensiles imprimuntur, ita & auris habet congenitum aërem, qui cum extrinsecus adveniente conjungitur, sonumq; ab eo, quem adfert, excipit, ac ad communem sensum demittit.

#### CAP. IV.

**O**lfactus est, qui odores percipit. Obiectum Odor est. Aristoteles ponit instrumentum Odoratus in foraminibus superioribus narium, quæ per carnem spongiosam, aut membranulas, quarum pori respiratione aperiantur, percipiat odores aëris attracti. Sed Galenus Aristotelē reprehendit. Percipitur etiam Odor per aquas. Nam & in aquis pisces non audiunt duntaxat, sed & odorantur, quod docet Arist. in hist. An. Porro quæ in aquis Odores percipiunt, in aquis non odorantur, propterea quia ibi spiritum adducere non possunt. Hebetissimum hunc sensum nactus est homo, sed ad sanitatē conducibilē, ut eruditè ex Arist. sententia disputat Gell. lib. 19. c. 2. Odorem Heraclitus fumosam exhalationem existimavit esse, alij vaporem, alij ex his mixtum quiddam; sed repugnat. Arist. lib. de sens. c. 5. & addit rationes. 1. Si Odor est exhalatio, τὸ ὄσφαιον certè brevi tempore amittet odorem. Sed videmus res etiam minimas diutissimè odorem conservare. 2. Fumosa exhalatio si est, in aquis odor fieri non poterit. Sed videmus pisces remotiorem escam etiam olfacere. Non igitur vapor est aut fumus, aut tale aliquid. Est ergò secundum Aristotetem ἄσπυρ φύσις ξηρῆ ἐν ὑγρῷ. Est natura, qualitas seu affectio siccis saporidi in humido. Siccum porro hic intelligitur vel δυνάμει vel actu. Differentia odoribus dupliciter adscribuntur per se & per accidens. Per accidens sunt, quæ à saporibus sumuntur. Vicina enim sensilia sunt Odor & sapor. Per se autem odoris differentia sunt ἐνώδεις & δυνώδεις, de quibus plura Arist. in probl. Has duas qua-

tenus

tenus tales, solus homo percipit. Organum externum Nares, inter-  
num & proprium processus mammillares, vel ea, quæ in alijs ani-  
malibus horum suppleat locum; quod in alijs etiam valet sensibus.

### CAP. V.

**G**ustus sensus est, quo sapes percipimus, quos graci χουῆς vo-  
cant. ἡ δὲ γούσῃς ἡρεῖται τὸ χουῆν. Obiectum eius est Sapor.  
Est autem Sapor affectio seu qualitas quedam sicci in humido per  
calorem generata, quæ gustum de potentia in actum raducit. Actu  
autem nihil gustatur sine humido. Humidum namq; materia est  
& caussa sine qua non, sapes percipiuntur. Macerantur ergo sa-  
pida saliva lingue, quæ ipsi congenita est, atq; nonnihil liquefcunt.  
Instrumentum gustatus est lingue tunica. Medium caro lingue  
musculosa & fungosa beneficio saliva humectata. Differt autem  
in gustatu, sicut & in tactu medium hoc, ab aliorum sensuum me-  
dijs, quia illa prius afficiuntur à sensibili, quam id sentiatur: hinc  
autem simul medium & sensus afficitur.

Species extremas saporis dulce & amarū ponit Aristoteles. His  
vicini sunt pinguis & salsus. Medij sunt austerus, acerbus & acidus.

### CAP. VI.

**T**actus est, quo tactiles qualitates percipiuntur. Sunt autem  
alia prima, alia secunda. Tactus autem qui totius corporis est,  
non simpliciter unus est. Subiecto quidem & numero unum esse suo  
modo concedimus, ratione tamen & facultate multiplicem dici-  
mus. Nam aliud genus calidi & frigidi, aliud humidi est & sicci.  
Itaq; ea genera etiam in tactu esse necesse est: quæ quamvis sint  
αἰσθητὰ, ratione tamen animadvertuntur. Natura enim sensum  
accommodavit ad suum sensile. Medium est Epidermis vel aliud  
quid analogon. Instrumentum est duplex: Internum & exter-  
num. Internum sunt nervi. Externum Cutis, quæ temperata, qua-  
lem Galenus in tali αἰσθητῷ requirit l. d. Temp.

### CAP. VII.

## CAP. VII.

**D**escendemus jam ad internum sensum, qui circa commune obiectum principaliter versatur. Commune dicimus, non quod res, quas sensus externi deferunt, negemus singulares, sed quod illæ non singulariter: verum natæ οὐδὲν ποτὶ tractentur. Mira autem se offert in internis sensibus numerandis varietas: Quidam sufficere unum autumant. At plures esse cum operationum tum organorum arguit diversitas. Quid? quod unus excitat alterum, atq; sæpius labefactatur unus, illæ sis reliquis. Quidam agnoscunt duos, Communem & Memoriam. Quomodo autem movens cum moto & sensus qui ab externis duntaxat exercetur, cum altero, qui etiam externis deficientibus (Communis cum phantasia) unus sit idemq; nondum probarunt, probare vix poterunt. Averroës præter communem phantasia & memoriam ponit etiam cogitativam, & talem quidem, cui affirmatio & negatio, rationis officia competant. Lib. 3. de an. Com. 6. quod si verum, quidni ratio & cum ratione intellectus brutis attribueretur?

## CAP. VIII.

**S**ed præter volabimus lubricarum opinionum scopulos, & tutum portum ingredientes internum sensum dividimus in concipientem & conservantem. Concipiens occupatus est vel in discernendo & appellatur communis, qui variorum obiectorum species suscipit, & à se invicem discernit, vel in plenius aestimando, ut phantasia, quæ imagines per communem oblatas componit atq; dividit: Illum imaginantem, hanc aestimantem Ludovicus Vives vocat. Phantasia actum Fracast. lib. 1. de Intell. p. 383. & seq. novo usus vocabulo subnotionem appellat, hoc est, cognitionem talem, quæ sub uno quodam apprehenso multa alia simul ordine confuso se offerunt. Conservans est Memoria, quæ imagines retinet & quando opus est reddit.

Fient omnia clariora, si præter organum, quod cum Medicis &

B

Philo-

Philosophis cerebrum statuimus obiecta & officia sensuum horum  
luci exposuerimus. Communis itaq; sensus obiectum sunt qualibet  
externorum sensibiliū simulacra, per externos sensus tanquam fe-  
nestras ad internum conclave delata. Officium 1. sensuum exter-  
norum actus cognoscere. 2. Eorundem obiecta discernere. Phanta-  
sia obiectum est, τὸ αἰδῆτόν πρᾶσεν vel absens. Officium imagines  
vel oblatas à communi, vel confictas exactivis remoto etiam obie-  
cto distinguere; simplices sensibus separatim cognitatas componere,  
& re quoq; nulla extrinsecus oblata, imaginarium quid elicere.  
Memoria quoq; obiectum τὸ μνημονεύτόν sive à sensu prius oblatum  
sive ab imaginatione confictum. Officium imagines conservare, &  
rursum exhibere. Hic verò duo vitanda sunt errorum precipitia,  
ne videlicet omnem memoriam brutis denegemus, siquidem in il-  
lis sepiissimè satis apparet prestans, cuius rei exemplum insigne pro-  
fertur à Gellio 5. noct. Att. c. 14. Ne item omnem memoria  
actum ab intellectu simul fluere opinemur, & sic brutis volentes  
nolentes rationem tribuamus.

## CAP. IX.

**A** Tq; ita internos externosq; absolvimus, quibus ceu comites ap-  
petitivam & Locomotivam adiungimus. Est autem appeti-  
tiva, quæ obiecta prosequitur vel fugit. Distingui vulgò solet in  
naturalem, quo natura rei appetit convenientia: In animale  
vel sensitivum, quo idem prestant sensus, idq; vel per contactum,  
unde delectatio & dolor, vel sine contactu, ubi affectus. Deniq; in  
voluntarium, quando consilio iudicioq; mentis aliquid appetimus  
vel averfamur. Quod si bilance veritatis rem aestimemus, viden-  
tur posteriores duæ species postposita priori huc tantum pertinere,  
nisi nobismetipsis velimus esse contrarij, qui appetitivam sensiti-  
va subijcimus.

## CAP. X.

**L**ocomotiva sequitur, qua quamcumq; corporis partem de loco in  
locum animal movet. Ubi declaranda motus requisita prima-  
ria

ria & secundaria. Primaria consistunt in illo, quod movet, quo movet & quod movetur. Movens τὸ κινῆν vel movet aliud & non movetur, ut obiectum: vel movet ac movetur, ut appetitus. Quo movet ἢ κινῆν, instrumentum est, idq; duplex: Commune quod toti corpori facultatem movendi suppeditat, veluti sunt, cerebrum, spinalis medulla, spiritus, &c. Et proprium, quod partibus singulis accommodatur, ut ossa cartilaginee, ligamenta, tendines, muscoli. Quod movetur τὸ κινῆμενον est animalis corpus aut totum aut secundum partes locali motui subiectum. Requisita secundaria vel respiciunt internum quid vel externum. Prius in animali id denotat, super quo motus peragitur, ut flexura cuiusq; partis; posterius est subiectum quodlibet, cui animal ceu fundamento innititur precipue terra.

Laus D E O.

*Dns.*

## RESPONDENTI

**L**eonharte, fuit tempus, ut impotens jaceres  
Ratiocinij, vix animale corpus, infans,  
Primiq; tamen tunc tibi risere parentes,  
Risere tibi proximitate conjugati;  
Tantum quod ibi tum bene sensatum ageres te.  
Primis ubi nunc cum ratione te parenti  
Sensatum, & item proximitate conjugatis  
Offers; utiq; iis hoc quoq; te credo placere.

*Ioachimus Colbius Saganens. Siles.*

F I N I S.

Faint, illegible text in a medieval script, possibly Latin or German, arranged in several lines within a rectangular border.

Two lines of faint, illegible text, possibly serving as a section header or a specific entry.

A larger block of faint, illegible text, appearing to be a paragraph or a list of entries.


Two lines of faint, illegible text at the bottom of the main text block.












Farbkarte #13

B.I.G.



anatomicarum  
CIO XXIII.

DE ANIMAE  
TIVA

M. A.  
ESIDIO

OBLOCH II,  
Med. & Phil.D.

gensium Academia  
am suscipiet

Baudisius

Silesius,

. horis & loco notis.

ER G AE,

ber lohan. Gorman.  
CVII.

220

Verbindungsstelle  
Westmühlweg 17  
1000 Berlin

